

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**PROGNOSTICA=||TIO IOANNIS LIECHTENBERGERS, QVAM  
OLIM SCRI-||psit super magna illa Saturni ac Iouis  
coniunctione, quae fuit Anno M.CCCC.||LXXXIII. praeterea  
ad eclipsim Solis anni sequētis uidelicet ...**

**Lichtenberger, Johannes**

**Köln, 1526**

Capvt tricesimvm

[urn:nbn:de:bsz:31-160364](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160364)



## CAPVT TRICESIMVM.



Portebit condere nouas leges propter huma-  
nam necessitatem & euidentem utilitatem eius,  
& aliquando aliqua priuilegia & leges abroga-  
re. cum. ff. lex dicat, In rebus nouis conquiren-  
dis euidens esse utilitas debet, ut recedatur ab

L



PROGNOSTICVM IOANNIS

eo iure, quod tam diu æquum uisum est. Hac uia una iuris portio cōstituitur, quam scilicet necessitas constituit. oriuntur tunc ex necessitate quædam inc'inationes & mores noui, quibus assuescunt, & tacitus fit consensus, quoniam eorum obiectum propter sensualitatis impetum uidetur bonum, qualecunq; etiam fuerit. Et inde lex orientur dicente lege. ff. Ea quæ longa consuetudine approbata sunt, ac per annos plurimos obseruata uelut tacita ciuium conuentione, non minus q̄ ea quæ scripta sunt iura seruātur. Ergo om̄e ius aut consensus fecit, aut necessitas constituit aut firmauit. In omnibus enim legis consensus populi est necessarius, populus autem sensualitatem plurimū sequitur, qua impellitur à cælestibus, adiutorium ergo in cælestibus legislatorem habere oportet, ut populus suo iudicio consentiat, alioquin legislator optimus simile faceret ei qui uulpes domauit, ipsis q̄ in pascuis custodem gallum præfecit. Et confirmatur hoc in lege digestorū. Inueterata consuetudo pro lege non custodit, nisi sit moribus utentium constituta. Nam cum ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, q̄ cum iudicio populi receptæ sunt, merito & ea quæ sine ullo scripto populus tenet, nam quid interest suffragio populus uoluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis? quare rectissime etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per dissuetudinem abrogantur. Hoc figuratum est nobis Hierem̄. ij. duo mala fecit populus meus, dereliquerunt me fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ aquas continere non ualebant. Datur intelligi. Fons aquæ uiuæ est sacra scriptura, in qua cōtinet uera aqua. Sed cisterna nō ualens cōtinere aquas, est ius ciuile & canonū quæ hodie aquas sapientiæ continent, cras non continebunt. quia cras abrogata erunt, & sic non sunt de lege diuina, de qua Dauid in psal. cxviij. Iusticia tua iusticia in æternum, & lex tua ueritas. Terrena etiam est scientia iuris ciuilis & decretum, & sicut terra aque cōmixta impedit ne clare per eam uideatur, ita terrenitas multos utriusq; iuris peritos impedit ne recte iudicent, quod non sit in lege diuina & sacra scriptura. Vnde Hierem̄. ij. Quid tibi uis ò iurista in uia Aegypti. Constitat igitur diligenter consideranti, eo q̄ moribus hominū leges ada-



ptantur, leges esse mutabiles. non erit autem mutatio uel institutio, nisi impetu aut consensu existente in populo. nequeunt ergo fieri leges, & continuari aut abrogari, nisi iuxta astrorum applicationes tales impetus, ut præmittit, causantes. naturalium enim effectuum super-cælestia corpora causas esse, & edyphes illa significare nemo sanæ mentis dubitabit,

## IMMEDIATE POST HOC VEL

in eo tempore nasceretur alius propheta, uidelicet ut uir religiosus, miram ostendens sanctitatem.



## CAPVT TRICESIMUM PRIMUM.



Lium prophetam minorem mira quadam scripturarum interpretatione fulgentem, ac quadam diuinitatis auctoritate responsa proferentem, qui mortalium animas ad terram delapsas, suæ subijcienditioni, prodigiosa hæc constellation nasciturum portendit. Nam astrologi prophetas minores appellare solent, qui mutationem aliquam in lege faciunt, aut nouas ceremonias inducunt, diuinasque scientias & au-

L ij